



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epistola Pastoralis Illustrissimi Ac Reverendissimi Domini
D. Humberti Guilielmi A Præcipiano, Archiepiscopi
Mechliniensis**

**Precipiano, Humbert Guillaume de
Lovanii, [1692]**

Conclusio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39186

Auctores igitur Parochis sumus, ut Religiosos viros, qui statis diebus ad concionandum pagos excurrunt, hospitaliter excipiant, humaniterque ac benignè tractent, juxta S. Caroli Statutum, † qui Prædicatores ab illis, in quorum Ecclesiis prædicant, hospitio recipi vult, *suppeditatis omnibus rebus ad eorum victimum necessariis, data etiam Eleemosynâ aliquâ ex fructibus Beneficiorum;* quando nempè id Parochi sors, ac conditio aut tempora permittunt, alibi præscribit, ut in congregazione Pastorum, § *Si ei Parochia propè erit aliquod Regularium Monasterium, ubi aliquis sit ad Sacrarum Litterarum Ecclesiarumque explicationem aptior, curent etiam illius opera atque studio adjuravi.*

Quodam loco decernit atque hortatur idem Sanctus, *ut superiores Regularium, temporibus quibus ut plurimum populus ad Confessionis Sacramentum confluit, procurent quantum potuerint maximum numerum Confessorum.*

HIC TONUS CLOVIS I

Habetis quæ mihi visa sunt in Domino potissimum præscribenda hoc tempore, quæ si ea, quæ decet, observantiā omnes suscipiant, similique alacritate executioni mandent, nullus erit queremoniis locus, Ecclesiastica Disciplina sarta, testa conservabitur, facile coibunt vulnera breviisque ducent cicatrices: non pendebit animus Christiana plebs, neque studiis partium tamquam factionibus distraheretur: Schismatis imminentis periculum evanescet: vigebit pax & concordia, neque posthac Heterodoxi nobis exprobrabunt, quod Majores nostri in Lutheranos & Calvinistas justissimè olim intorquebant, nos tamquam Cadmæos Fratres mutus digladiationibus & vulneribus concidere.

Deus pacis & consolationis sit cum omnibus Vobis, quæque sunt Ecclesiæ suæ hanc misericordiam salutaria, atque unicè necessaria, Spiritum disciplinæ, Spiritum mansuetudinis Spiritum obedientiæ erga Præpositos vestros, Spiritum humilitatis & sinceræ devotionis, Spiritum veri amoris & charitatis in proximum inspiret cordibus Vestris & Cœlesti suâ gratiâ augeat, atque in finem confirmet, ut cum venerit

Prin-

†. Concil. Mediol. I. tit. 5.

§. Ibid. 3. †. Instruct. p. 2. c. 2.

(8)

Princeps Pastorum & Episcopus animarum vestrarum Christus
Jesus, percipiatis immarcessibilem gloriae Coronam, quam om-
nibus & singulis precamur ex animo.

Mechliniæ in Palatio Nostro Archi-episcopali
12. Octobris. 1692.

HUMBERTUS GUILIELMUS
Archiepiscopns Mechliniensis.

T E S T I M O N I U M

S A N C T I S S I M I D. N.

I N N O C E N T I I

P A P Æ X I I .

QUod attinet ad Epistolam Pastoralem, de
qua prædictis in litteris loqueris, zelum
tuum jam pridem commendare non omissimus.

Ex Brevi Apost. ad Nos dato die 27. Septemb.
ultimi, quod se refert ad aliud Breve antehac ad Nos
datum.

F I N I S.